

esse sequestrationem depositi speciem ^{a)}, aliquid huius rei vidisse, quum dixerit ^{b)}: *Sequestratio est lex quaedam depositi, ut ἀντίχρησις est lex pignoris, et in diem addictio, vel commissoria est lex venditionis. Leges contractuum transformant ipsos contractus, quo fit, ut saepe illae propriis nominibus nuncupentur, quae frequentiores sunt, ut fiducia, addictio in diem, sequestratio, ἀντίχρησις, non contractus proprii.* Quae res ita placuit celeberrimo GERARDO NOODTIO ^{c)}, ut plane in huius sententiam pedibus iuerit, licet eum non nominarit. Rem ita exponit: Arbitremur, sequestrum non esse speciem contractus, a deposito distinctam ac separatam, sed esse legem depositi, ad actionem depositi pertinentem. Quo modo antichresis est lex pignoris, custodienda actione hypothecaria, aut pigneratitia: et in diem addictio est lex venditionis, quam exsequimur actione eius contractus. Hisce exemplis facile fero, illos contractus huiusmodi pactis transfigurari: eoque haec pacta propria habere nomina. Sed non puto, ipsos contractus ex his pactis fieri novos, aut alios ab eis, qui forent, si pactis informati non essent. Haec NOODTIUS. Quae uti sunt, satis enim adparet, ex CUIACIO desumpta, ita etiam ex huius verbis magis declarantur. Quantiuis autem pretii mihi sint sancta CUIACII NOODTIQUE nomina, tamen non possum, quin hac in re ab iis dissentiam. Primum enim, qui sequestrationem dicit pactum esse, contractui depositi adiectum, is in eo errare videtur, quod omnem sequestrationem tum dicit conuentione, nedum contractu depositi, iniri. Id enim

^{a)} locis, quae supra laudauimus §. 2. ^{c)} in *Comment. ad Dig. Tit. de pos.*

lit. u. Tom. 2. Oper. Colon. Agrip. 1732.

^{b)} in *Recitat. ad Tit. C. depositi.* edit. pag. 289.